Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1289

Quelle:
Copyright:

ro *Thomae Aquin. Bonaventurae* amiciſſimi ſub exordia Typographiae prelo frequenter ſubjectum, et receptum in T. XVII. *Opp. omn.* edit. *Rom.* 1570. ubi *fol.* 61. eſt *Opuſculum n.* V. et finit: *corpus ſpirituale in vitam et gloriam eternam, ad quam gloriam nos perducat pater et filius et ſpiritus ſanctus. Amen.* Non optimo Exemplari uſum fuiſſe Librarium noſtrum declarant vocum ſpatia hinc inde relicta.

III. *fol.* 73. p. 2. Enumeratio quarundam Sententiarum erroneārum, ut plurimum *Pelagio* tributarum, cum brevi refutatione, quae definit in Errores XXIV. *Graecorum.* Videtur initio truncata; incipit enim: *quod oratio boni hominis preualeat miſſe ſacerdotis, contra dignitatem eſt ſacramenti.* Cenſeo praemittendum: *Dicere;* nam reliquae Propoſitiones ferme omnes ita inchoant v. g. *Dicere quod aliquis veniat ad hoc, quod deo non indigeat, blaſphemia eſt in deum* &c. *Dicere quod* &c. Finis: *Item quod Prelati grecorum Sacerdotes et Religioſi iniungunt penitentiam grecis vt interficiant latinos.* Unde haec accepta ſint, ignoro.

IV. *fol.* 77. p. 2. *Ewangelium*, ut e calce adſumo, *nychodemi.* Initium eſt: *Factum eſt in anno XVIIII. Imperatoris Tyberij ceſaris Romanorum et Herodis filij Herodis Imperatoris galilee. anno XIX. principatus eius. VIII. kalen. Aprilis. quod eſt XXI. menſ. marcij. conſulatus filij vellionis in anno IIII^o. CC^o. II. olimpiadis ſub principatu iudeorum ſacerdotum. Anne et Cayphe poſt crucem et paſſionem domini Hiſtoriatus eſt nichodemus acta a principibus ſacerdotum et reliquis iudeis. Mandauit ipſe nichodemus literis hebraicis.* Chronologia haec pariter praemittitur in Exemplo, quod dedi *Vol.* I. P. 1. *col.* 453. in vetuſta Editione literis *Gunth. Zeiner ſ. l.* et *a.* f. in Verſione germ. et angloſax. a *Fabricio* in *Cod. Apocr. N. T.* P. I. p. 235. citatis; at vero Editio in *Orthodoxograph.* T. I. p. 643. et ipſa *Fabriciana l. cit.* p. 238. eam ad calcem habent. Corruptio ejus vel ex adſignato Conſulatu liquet; jam enim, ut vidimus, *conſulatus filij vellionis*, jam *conſulatu Rufini et Rubellionis*, jam *conſulatu Rufi vellionis*, jam *des Raths des Sun Neſtionis*, jam plane *conſultatoriæ Revelationis* legitur. Dignum ſane patella operculum. Deinceps Exemplar praeſens cum *Fabriciano* coincidit in his verbis: *Anna et Cayphas et Sobne et tathan Gamaliel Judas Levi* &c. verum cum §. ejus XXVI. in his definit: *ac poſuit in codicibus publicis pretorij ſui;* ſtatimque ſequitur: *Poſt hec ſcripſit* (Pilatus) *hanc epiſtolam ad claudium Imperatorem auguſtum;* et ipſa Epiſtola. Lectionis varietatem in re frivola adnotare non duxi operae pretium; id tamen non praetereo, *Pilati uxorem*, quae *Fabricio* adpellative *procul poſita* eſt, Codici noſtro proprie *Proculam* eſſe, quo nomine